DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICO - CHIRURGICA

SISTENS

STEATOMATIS INSIGNIS

OPERATIONE CHIRURGICA

FELICITER EXSTIRPATI ADUMBRATIONEM ICONOGRAPHICAM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS REGIOMONTANI

PRO

SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

PUBLICE DEFENDET

DIE *XX* FEBRUARII *MDCCCXXI*

H. L. Q. C.

AUCTOR

PHILIPPUS D'CSERNYANSZKY

NAGY BECSKEREK-HUNGARUS.

REGIOMONTI

E TYPO- ET LITHOGRAPHIA DEGENIANA

CUM TABULA ICONOGRAPHICA.

Adversus Opponentes

Leopoldum Freund

Buda-Hungarum

et

Georgium Müller

Curonum

Medicinae Cultores.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, GENEROSISSIMO

AUGUSTO LIBERO

BARONI A STEIGENTESCH

Magnae crucis Equiti, Caesar. Austriac. Ordin. Coron. ferreae, Ordinis Austriaci Leopoldi Commendatori; Ordinis St. Wladimiri Russici Equiti secundae classis; St. Annae primae classis; Magnae crucis Equiti; Ordinis Dannebrog; et Bavarici militar. Maxim. Joseph; Suae Sacratissimae Maiestatis Apostolicae, intimi status Consiliario, Generali excubiarum Praefecto, Legato, ac plenipotentiato Ministro in Aula Regis Daniae

etc. etc. etc.

VIRO

PRAENOBILISSIMO, MAXIME SPECTABILI, GENEROSISSIMO

COMITI A KUEFSTEIN

Sacratissimae Maiestatis Apostolicae Imperatoris Austriae, Secretario legationis in aula Regis Daniae, etc. etc.

MAECENATIBUS OPTIMIS

SUMMA CUM DEVOTIONE

D. D. D.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO

CAROLO FRIDERICO BURDACH

Philosophiae medicinae, et chirurgiae Doctori, Morphologiae Professori publico ordinario, Theatri Anatomici Regii, et societatis Regiae litterariae Germanicae ac oeconomicae Directori, Consiliario medico, et aulico Regio, plurium societatum sodali etc. etc.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO

C A R O L O   U N G E R

Philosophiae medicinae, et chirurgiae Doctori, chirurgiae Professori publico ordinario, clinici chirurgici Regii Directori, Consiliario medico Regio, ordinis crucis ferreae Equiti, societatis Physico: medicae Regiom. sodali etc. etc.

VIRO

SPECTABILI, PERILLUSTRI, MERITISSIMO

H E I N R I C H S

Provinciali Consiliario Johannisburgensi.

PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS

PIE COLENDIS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

Prooemium.

Quum constituerim pro summis in Medicina, et Chirurgia honoribus capessendis inauguralem conscribere dissertationem, steatomatis insignis in clinico chirurgico Regiomontano nuper feliciter exstirpati adumbrationem iconographicam exhibere sat opera dignum videbatur, quum potissimum huius generis steatoma inter variora censendum sit.

Praemittamus oportet quaedam de telae cellulosae tum dignitate, tum vegetatione: Ex sententiis a plerisque Physiologorum, in exponendis vis nervosae effectibus pronunciatis, quodammodo elucere videtur, eadem ipsa vi, qua obiecta externa sensorio communicantur, et psychicas impressiones in corpus propagari: Verum rem se aliter habere, docent membra sensibilitate orbata, adhucdum irritabilitate pollentia, sive motu voluntario. — Ad declaranda eiusmodi phaenomena, per hypotheticam suppositionem duplicis ordinis nervos statuerunt, sensibilitati videlicet, et voluntario motui dicatos; quamvis hanc designationem, ubi accuratius mente pervolveris, rem dubiam, aeque re dubia explicatam esse omnino nobiscum convenies. Profitendum interim est, propagationem stimulorum psychicorum in corpus, et physicarum impressionum in sensorium, effectus duarum a se invicem, longe diversarum facultatum esse debere, quae vix ac ne vix quidem in uno eodemque organo sedem habere

possunt. — Quidquid sub notione nervorum comprehendimus, sane duabus ex partibus constat; Medulla duntaxat nervea, et cellulosa tela; huic merito facultas tribuenda est, psychicos stimulos in corpus propagandi, medulla vero nervea facultate praedita est, incitandi in sensorio sensum, datae cuidam impressioni physicae adaequatum. — Hoc ex fonte flosculos nostros irrigamus oportet: In Raphania, morbo maxime memorabili, sensibilitas omnis suppressa, motus vero voluntarius adhucdum superstes est: Vice versa scimus dari sensuum functiones iutegros, imo exaltatas, motu voluntario deficiente. — Haec phoenomena nunc nequaquam difficilia sunt explicatu: Vis nervea evanescit, quia medulla nervea laesa est; — interim et aliis fas est dicta illustrare exemplis. Fines dissecati cuiusdam nervi mediante cellulositate coniunguntur, inferior pars sensu destituitnr, motus vero voluntarii facultas post aliquot mensium spatium redit, ubi fines discissi nervi probe, et sufficiente cellulosa tela coaliti fuerint. — Arsenico porro una cum praeparatis hydrargiricis, immediate cerebro applicatis, influxum observamus nullum; — Verum haec ipsa remedia aliis imposita partibus, convulsiones teterrimas totius corporis procreare videmus. —

Breviter febres cum inflammationibus ex analogia, ex simili ratiocinandi modo, animus est exponendi, salvo interim meliori iudicio, quamobcausam lector benevole.

— — Si quid novisti rectius istis
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

Ubi inflammationis et febris symbolum indagaverimus, tum in sanguinis accelerato circuito invenimus, reliqua, quae hinc oriuntur, effectus potius, quam essentia morbi sunt; quod igitur discrimen intercedit inter febrem, et inflammationem? — Quodsi stimulis causam effectricem tribuimus, tum nonnisi aegre explicari potest, cur attamen, affectis sangviferis varis aut semper inflammatio, aut febris non oriatur: — Qui naturam diligentius consuluere, quadam, ex parte satisfecisse sibi ipsis videntur, dum dicant; Arteriolas impri-

mis in inflammationibus pati; Verum hac designatione notio inflammationis nequaquam exhausta est, imo nec veri speciem praesefert: Arteriolae etenim, quae in statu normali sangvinem rubrum non continent, non aliae sunt, nisi Boerhaavii vasa flava, et alba; Vieussenii vasa neuro-lymphatica, ductus adiposi, et quodcunque aliud nomen tibi dare placuerit. Vasa haec iam pridem robur medicum perdiderunt, ubi de eorundem non existentia certiores facti fuissemus, nam in inflammationibus omnino sangvis in telam cellulosam effunditur, cuius structuram scimus reticularem esse, hinc admirantur plerique, vasorum plexum multivarium, qui nil nisi tela cellulosa est.

Quemadmodum in nervis exposueram duplicitatem, organi scilicet, et eiusdem involucri, ita etiam ex analogia in vasis enucleare experiar. — Arteriarum vasa proprie e musculari strato circulari, et involucro celluloso constant, in parte peripherica hoc, in centrali, illo praevalente, quicquid itaque de vasorum irritabilitate dicemus, id unice his fibris circularibus tribuimus, cellulositati vero, ut materialem illum processum, sive vis vitalis exaltatam efficaciam in parte quadam in se recipiat. — Febrem sitam esse nuncupamus in affectione vasorum sangviferorum omnium, aut secundum ideam nostram, in eorundem strato musculari, tela cellulosa neutiquam in consensum vocata, febris effectus fere iidem, qui inflammationis sunt, scilicet genius eiusdem illuc tendit, ut quicquid interno continetur ambitu, facta irritabilitate, vel rectius irritatione vasorum sangviferorum, et stimuli, numquam materialem exhibeat processum, sed crisibus intra sphaeram organisationis factis, penitus eliminentur per organa excretionibus dicata, quo referas aëriformia, fluida, et viscida, seu solida; ubi ergo naturam, eiusdemque molimina consulimus, tum febris et ortum, et exitum unice vasis perfici videmus.

Altera est inflammatio, cuius symbolum praesefert tela cellulosa, haec enim, quoniam ubique vasa obvestit sangvifera, ubivis locorum deprehendatur necesse est, stagnationes quidem raro in vasis accidunt, sed sangvine, maiori cum impetu in partem quandam, iam irritatam, vel etiam inirritatam influente,

tela cellulosa perhumectatur, id duplici modo fit; vitio illorum peripherico, vel cylindrica ex labe, haec vero minime morbi causae, sed rectius effectus sunt, stricte si rem examinaverimus. Impulsi humores primum, et essentiale vitium inflammationis non constituunt, sed vasa primo, et proprie aegrotant, quae si intra eorundem sphaeram continentur, et circuitum celeriorem solummodo reddunt, febrem efficiunt, sin vero in cellulosam telam effusus fuerit sangvis, vel eadem cellulositas typum formationis in se recipiat, vel aliis ut dicam verbis, eiusdem praevaleat efficacia, tum inflammatio gignitur: Spasmodicis scilicet fibrarum circularium frequentibus oscillationibus, resolutis, expansio telae cellulosae vigens, secretis in suam sphaeram receptis, favet, haec itaque congesta, sunt irritamenta, naturalibus maiora, quae nunquam inertiam patiuntur, sed mox, signis suis consuetis indicant partem laesam. — Neque opus est stimulis praeternaturalibus, qui mult's in inflammationibus, imprimis internis non notantur, fingitur quidem acrimonia sangvinis putrida? rheumatica? arthritica? etc. quae vero perquam difficulter demonstrabuntur. Imo sufficit ad inflammationem internam gignendam, aucta irritabilitas cum naturalibus stimulis.

Quae cum ita sint, exposita telae cellulosae in effectibus nervosis, febribus, et inflammationibus summa dignitate, breviter adhuc eiusdem maximam vegetationem in parasyticis formationibus, qua praeprimis gaudet, adiiciendum esse opinor; Quicquid generatim hac de materia dicere vellem id Ungerus noster expressit, dicens: Simplicissima fabrica in tela cellulosa patet, vi expansiva praedita est, atque hac virtute organorum vestimentis quam maxime idonea redditur. — Sed eadem haec textura cellulosa primitiva sua qualitate privatur, sicubi in structuram fibrosam delitescit, ligamentis, et expansionibus aponeuroticis apta. In structura musculari eadem cellulositas viget, sed longe variabili indole; in fabricam fascicularem, circularem, tubuliferam, cylindricam cet: ab't, producendis vasis, ductibus, et canalibus accomodatam. — Si quidem cellulositas illa in simplici sua fabrica, vel etiam sub forma ligamentorum

e. g. praeter expansionis virtutem nulla profecto alia fruitur; ita mutato eius mechanismo facultates longe alienas adipiscitur. Sic contractionis, et expansionis commercium structurae musculari subest, eminetque in musculis ubique, praesertim in illis, qui antagonismo inserviunt maxime nobilis cellulositas in nervis deprehenditur, non solum ob sensibilitatis praestantiam, eis inhaerentem, verum etiam propter multiplicem eorum implicationem, in plexibus, gangliis, et in varia ipsa cerebri substantia, cuius compages in simplicissimam cellulositatem reduci potest. — Quis est, qui species diversas tumorum cysticorum, uti ganglion, meliceris, ateroma, et steatoma e cellulositate quidem pro_ denutia, promiscue oriri contendat, eum cum dignitate cellulositatis in fabrica humana parum innotuisse cen sebo. — Quantum valoris sententiae Abernethy contendentis, steatomatibus nullam convenire varicositatem tribuendum sit, me etiam non indicante elucet, ubi iconem inspexeris, symptomatologiam steatomatis delineati perlegeris, ac tandem ea, quae inter operationis actum contigerunt, accuratius collegeris; tum argumentum eo ipso refutatem esse intelliges. Sed vela centrahenda sunt, ne videar tripodi insidens, oracula dicere inauditae sapientiae plena e sybillinis libris excerpta, si aliqua ex parte vobis approbata fuerit nostra industria, causa nulla sit, quin omnes potius accusandam nostram temeritatem, quam imbecillitatem sublevandam putetis.

Quamvis in aliis humani corporis partibus occurisse steatomata sciamus, tamen eodem, quo brachii steatoma nostrum, cum periostosi oculi eiusdem lateris, videlicet sinistri, singulari observavimus nexu, nondum innotuisse, omnino historica demonstratione probare connabimur, cuius gratia dicamus oportet (1) magnum, ad cervicem exstirpatum (2) in abdomine et thorace (3) ad lumbos dependens super nates. (4) Librarum quatuor a Meckelio exstirpatum (5) dorsi librarum septem. (6) Maius ad ingven (7) ad nates (8) sexaginta librarum inter scapulas (9) ad nates, iam nobis communicata esse; quod brachium attinet, bis solummodo evenisse intelligimus, et quidem primum promulgavit obiter (10) Steidele, dicens, in interna antibrachii parte, magnitu

dine pomi, prospero cum successu exstirpatum fuisse, tumor continebat foetidum, totio cornis similem humorem, de reliquis nequaquam edocemur. Alterum (11) d' Siebold nobis tradidit casum, verum hic radium cariosum, cum osteosteatomatosa exerescentia, coniunctum solummodo, exhibet, infelice cum successu. Itaque unicum est, quod Vobis propono steatoma brachii, ac ut arti medicae novi quid adderem, me commentariolum hocce composuisse, addendum adhuc existimo; licet opusculum inordinato dicendi genere contexuerim, tamen confido id vobis non minus gratum fore, quam si omnes undique aucupans flosculos, concinno quodam verborum sono, animum vestrum demulcere studuissem; Non fingendum, sed summa cum solertia observandum, quid natura faciat, hanc ob causam, rem ipsam nudam proponere minime verebar, elegantiae specimine prorsus neglecto, quamquam et nobis quaedam hac in parte inhaereat animi vis, loco, temporeque aptis depromenda.

(1) Meyer, Samml. medic. Beobacht. p. 701.
(2) Rahn in Museum der Heilkunde I. n. 3.
(3) v. Siebold. Chiron. I. p. 671.
(4) Voigtel. Handbuch der pathol. Anatom. I. p. 80.
(5) Fabricius Hildanus. Cens. VI. Obs. 16.
(6) Hollerius. Observ. ad calcem L. I. de morbis internis. n. 23.
(7) Morgagni de sedibus et caussis morb. Epist. L. Art. 23.
(8) Rhodius. Cent. I. Obs. 29.
(9) v. Siebold Samml. chirurg. Beobachtungen. B. II. p. 269.
(10) Steidele. Sammlung verschiedener gemachten Beobachtungen. B. I. S. 156. in Richters chirurg. Bibliot. B. IV. S. 555.
(11) v. Siebold. Chiron. B. I. S. 377.

Historia morbi.

Helena Zander annorum viginti quatuor e vico Schenckendorf prope Labiau oriunda die XIII Augusti MDCCCXIX in institutum chirurgico-clinicum suscepta.

Symptomatologia.

In brachio sinistro extrorsum conspicitur tumor versus superius magis semet extendens, deorsum cubitum transgreditur, basis superne parum lata, infrorsum aequaliter descendens in telam cellulosam abit, ac ubique extenditur, massam longitudinalem, figurae ovalis, infra planam, duritiei eximiae, pluribus tuberibus, impressionibusque notatam exhibet, pars inferior exulcerata, verum in superficie tantum, intimam substantiam immunem esse constat; tumor pendulus per nimium pondus cutem strictam reddit, hic imprimis vasa varicosa quam plurima conspicua sunt, externa superficies rugosa, cutis maioribus, minoribusque crustis scabris circumdata, digitorum pressioni fortiter resistit, tumor ergo solidus, compactus, et indolens, peripherica longitudo tredecim et dimidium, latitudo septem et dimidium, distantia demum a brachio quinque pollices metitur, brachium vero ipsum perfecta gaudet mobilitate, dolorum expers, ni massae inertis pondus quodam modo adnumeraveris. — Quod oculum sinistrum attinet, is ptosim bulbi complectitur, etenim genis accumbit, ab orbita duobus pollicibus distat palpebrae superioris tanta extensio, quanta ad obtegendum bulbum integrum, prominentem requiritur, contractilitas palpebrae parca, id observamus, dum aegra astra spectat. Pulsatio in orbita percipitur, quotiescunque bulbus comprimitur ad reponendum. Repositione facta ecce indurationem cartilaginosam, quae a margine orbitali circulariter semet separabat, ac retrahebat; haec ipsa cartilaginosa induratio in orbitam retrudi potuit, quo facto, pulsationem magis eminentem observavimus. Memoratu dignum est inter comprimendum bulbum, nullam mutationem subiisse pupillam, aegram vero nil lucis sensisse. Margo orbitalis superior inde a radice nasi, ad medium usque bulbi summopere

obtusus, ac versus interius, inferiusque reclinatus, tactus sensus docet periostosim internae laminae orbitae praesto esse, forsan et prominentiae bulbi causam complecti: Iris paullulum contractilis, visus functiones, etiamsi in oculo nil ferme abnormis deprehenditur, prorsus tamen abolitae, verisimillimum amaurosis pressione periostosis in nervum opticum orta. Constitutio valida, robusta, functionibus reliquis rite procedentibus, praeprimis menstrua nec periodi, nec qualitatis, nec quantitatis ratione habita unquam peccabant.

Anamnesis.

Inde a tenera aetate, morbos infantiles, quos felicissime superaverat (variolas si exceperis naturales) nec unquam quid habuit, de quo conquereretur; post variolas autem, bulbns collapsus, quamvis iu oculis variolas minime perpessa sit, tamen excidit, et quidem eodem, quo nunc vides statu, visus functionem iam tunc temporis abolitam fuisse liquet, et commemorasse superfluum videbitur, haec de oculo: Nunc ad tumorem transeundum, quem congenitum aegra contendit in brachio sinistro, verucae perquam similem, pisi magnitudinem aequantem, sensim, sensinque ita increscentem, ut anno aetatis suae decimo, anserini ovi magnitudinem adipisceretur; tumor duriusculus minimi pretii habitus, nam in valetudinem totius corporis nil fere noxii manifestabat, quemadmodum rerum domesticarum peragendarum munia perfecte obeunda minime impediret; anno vicesimo menstruationis epocha normam regularem tenens, et hucdum salva celebratur; Tumorem brachii lente increvisse vel exinde elucet, quod mense Junio a. c. indusium vulgare absque diffieultate brachio adaptari potuerit; inde vero passionis historiam tene: doloribus vehementibus aegra in brachio, et circum scapulam sinistri lateris torquebatur, digestione, vitiata, defectu appetitus, aestu, praecessis horripilationibus, cephalaea aurium susurru, doloribus colicis subsequentibus; tumor vero tantopere intra hoc brevissimum temporis spatium augebatur, ut hebdomadibus circiter octo, hanc superaret magnitudinem, tum decrescere coepit, et in superficie saniem purulentam edere,

edere, applicatis vero foliis plantaginis maioris, sensim, sensimque exsiccare, ac hanc duritiem sibi vindicare; dolores imminuti, prorsus deinceps desiere, valetudine corporis recuperata impos tamen ob nimium pondus, quod humum versus tendit, labores domesticos peragendi, huius insignis tumoris liberandi gratia, (eam potissimum ob causam, quoniam manibus, quae ad victum procurandum necessaria sunt, utitur) opem chirurgicam implorat, quam lubentissime ferre decrevimus.

Diagnosis.

Quod excrescentiam attinet, eandem vigore massae iusto plus compactae, durae mobilis, indolisque parasyticae, steatoma sane nuncupandum esse opinor; sed fusius res illustranda erit, quamvis artis periti chirurgicae hac expositione minime indigeant, tamen exactitudinis causa, quam in elaborandis morborum historiis severe praeceptor humanissimus urget, fit ut dicamus hanc speciem morbi ad tumores cysticos pertinere, qui potissimum ex abnormi vegetatione telae cellulosae ortum ducunt, varia sub forma manifestantur, quidam simplici, quidam vero multiplici efformato circumdantur sacco, intus varia loculamenta nonnulli horum exhibent, et proprio obteguntur sacco, sic et ratione contenti variant, in nonnullis massa pultacea, in aliis sebacea, lardacea, et fere cartilaginosa in aliis deprehenditur; locus denique cui insident, memorabilis est, nam et hinc multum lucis morbi diagnosis adipiscitur. Steatoma plerumque durum, mobile, et superficiei asperae esse consuenit, quemadmodum e symptomatologia apparet, huic morborum speciei oppositum est Atheroma, molle, et compressu facile, omnis vero fluctuationis expers, quam imprimis Meliceris designat.

Neque negligendum est: Steatomata e cellulositate quarundam partium frequentissime, puta extremitatum, et regionis hypogastricae oriri, ibidemque libentissime occurrere, sicuti Meliceris cum Atheromate caput praesertim infestat, denique secundum varias partes, quas occupant, et ipsa steatomata variant, unice diversitati cellulositatis a nobis iam adscripta, morbum hunc itaque exornabimus.

Steatomate brachii sinistri idiopathico.

Prolapsus bulbi mediante periostosi, quae sub forma steatomatis forte ex albuginea luxuriati orta esse videtur, productus est, huic Varicositas chorioideae, aut vasorum vorticosorum adsociata est, haec derivanda pulsatione intet comprimendum bulbum, ubi procul dubio maior sangvinis copia ope arteriae centralis advehebatur, quam venae quae comprimebantur, reducere valerent. Igitur malum oculi sane, ratione nexus causalis et maxime memorabilis, cum steatomate brachii congruit, cuius itidem luxuries e structura dermatica, orta, ac simili sum varicositate copulata erat.

A e t i o l o g i a.

Cum quovis in corpore organico dispositionem ad morbos sui generis statuamus, tum organismum huius aegrotae formationibus parasyticis, sive metamorphicis favere, aequo itidem iure concedamus, id, quod et ipsa periostosis in tenerrima adhucdum aetate, et steatoma sensim sensimque ortum, sat superque testari videntur; Mira res vero intra formationem parasyticam, functiones totius corporis integras, neque in morbosum consensum vocatas fuisse. Ut vero perfectae formationis parasyta nancisceretur stadium, necesse fuit, reactiones, sive impetus in organismum fiant, et Anamnesis morbi docuit omnino semet manifestasse: Quidem haud denegandum est, genium metamorphicum iam diuturno tempore, occulte operi praefuisse, opusque maxime arduum suscepisse, tantae molis parasytam producendi, ut intra octo hebdomades iners massa XVIII-XX librarum in lucem prodeat. Hac generali expositione casuistica acquiescendum, cum in externis potentiis nocentibus incassum causam effectricem essentialem quaerere velis. Memoratu etiam dignum est, laevum latus praeprimis affectum esse, nam et periostosis in oculo sinistro, et steatoma in brachio sinistro conspiciuntur. — Steatomatum origo, quoad momenta causalia sanedubia, quidem causis mechanicis, quaedam ortum debent, utpote pressioni percussioni, conquassationi, et his similibus, quaedam ab internis ortum ducunt causis, accu-

satur nempe sangvinis acrimonia, rheumatismus, arthritis, denique huius generis dubiae adhuc causae; Verosimile, uti in prioribus exposueram, e diathesi totius corporis plethorica, quae imprimis formationibus parasyticis favet; vel rectius in cellulositatis laeso mechanismo animali, ad multifarias formationes maxime aptae, morbis hinc metamorphicis cellulositatis laesae in censum vocantibus, ac iam, ubi de vegetatione cellulositatis praefatus snm, eiusdem virtutem exposui; quae secus ad illustrandam aetiologiam hic locum promeretur.

Prognosis.

Qui de repositione bulbi fortassis meditarentur; eisdem prius periostosim amovendam in mentem revocamus, quae vero absque operatione chirurgica perfici nequit, hanc vero argumentis moti non adhibemus, oculumque eodem, quo nunc versatur statu relinquimus, non eam ob causam, quia actus traumaticus in prosperum finem perduci posset, sed quoniam is procedendi modus exstirpationem oculi secumfert..

Animum intendamus in steatoma, quod ob eiusdem mobilitatem, et laxam cum musculis cohaesionem omnino operationi subiiciendum est, id vero perfecta exstirpatione, levi obtinebimus opera. Tantum abest, ut in remediis externis medelam positam esse credamus, memores formationum metamorphicarum, itidem in luxuriem tendentium, nunquam fere sua sponte parasytam sufferre, nisi cum interitu partis affectae, quare, naturae impotenti in amovendo corpore peregrino subveniamus oportet, quae etiamsi exulcerationes provocasset, forte sufferendo parasytae quadam ex parte idoneas, tamen vix ac ne vix quidem id assequi poterit, nisi et nos opem feramus chirurgicam, tum demum a viribus medicatricibus naturae postulabimus, ut in reuniendis partibus medelam salutarem exserat, quae tanto securius speratur, quanto plus constitutio aegrotae valida, operationi non solum secundum normas chirurgicas instituendae, verum etiam prospero cum eventu terminandae respondeat, palmam tribuens.

Methohus medendi.

Postquam de salvo operationis exitu sat superque certiores facti fuissemus, explorataque denuo valetudine, et de aliis forte sexcentis iudicium ferretur, tum sub Aesculapii auspiciis, die ultimo mensis Julii ad operationis actum properavimus:

Tornaculo arteriae brachiali, quadrante circiter horae applicato, antequam manum operi admovissemus, tum aegram sellae collocassemus, ni in promptu mensam operationibus dicatam, quam in instituto nostro perquam aptam habemus, cuius videlicet mechanismo id evincere possumus, ut situs et aegrotae, et operatori commodus sit, exigente necessitate vero mensam triplici in loco elevare licet, selegimus; operatori assistens proprius allegatus est, alteri antibrachium commisimus, instrumenta chirurgica porrigenda tertio, reliquis cura aegram sustentandi, apparatumque restaurationis providendi inculcata est, denique aqua tum frigida, tum calida, spongiis, fasciisque tum emplastrinis, tum linteis, ligaturis, suturisque ad amussim paratis; incisione ovali in steatomatis basi ope scalpelli convexi, dextra manu facta, parasytam amovere studuimus. Verum en haemorrhagiam insignem, e venis varicosis sistendo imparem, donec reppetitis incisionibus steatomatis limites, ubi cum sanis partibus cohaerebat, assequeremur, tum venae sangvinem prius uberrime fundentes, nunc a sangvinis fluxu destiterunt; Sacco perfecte exstirpato, et solummodo aliquot fibrae, quae cum fascia aponeurotica cohaerebant (inferior steatomatis pars arctius, cum fascia aooneurotica humeri, et antibrachii conjuncta erat); adessent, apparebat caput longum tricipitis, et anconaeus parvus nudi; Casu arripiebatur nervus cutaneus penicillo, illico convulsiones et vomitum aegra patiebatur, symptomata haec statim cessavere, aegraque recolligebatur, quam primum symptomatum horum singularium causam observassemus. Exstirpatione peracta, diligentissime vulnus investigavimus, et cum nil suspecti in eodem deprehenderemus, tum, arterias cutaneas, et aliquot venas ligavimus; Vulnerum labia, ope quinque suturarum coniunximus, fasciis demum emplastrinis circumdedimus suppositis longi-

tudinalibus compressis, demum fascia circulari brachium deligavimus, aegrotam lecto imposuimus, ac brachio pulvinar substravimus, quo rectius locaretur.

Dissectio steatomatis massam lardaceam extus duram, intus autem molliorem, hinc inde folliculis adiposis pertextam, exhibeus, saccum invenimus membranae tenuioris, aderat vero et secundus saccus, qui tubera singulatim amplectebatur, ita, quemadmodum arachnoidea gyros cerebri circumdat; vasa quam plurima varicosa vidimus, pondus steatomatis erat librarum sex.

$18\frac{1}{9}19$. Dolores in brachio vehementes manifestantur, noctem tamen qui etam aegra transegit. pulsus plenus, fortis, et acceleratus, haemorrhagia parca, extimam circularem fasciam nimis stricte adiacentem cum laxiore commutavimus, frigidas fomentationes saepius applicandas commendavimus.

$\frac{2}{9}19$. Febris traumatica manifesta, pulsus plenus, et celer, nox, quae febrem antecesserat, insommis, dolores vehementiores adsunt, deligavimus vulnus, vidimusque non sine summo gaudio, prima intentione labia reuniri. Continuantur fomentationes, potu temperante, victuque vegetabili aegra caeterum bene valens utitur.

$\frac{4}{9}19$. Dolores imminuti, cedunt, nox tranquilla, pulsus regularis, appetitus ciborum adest, fascias, quae intumescens antibrachium tegunt, mixtura vulneraria acida inhumectamus.

$\frac{6}{9}19$. Perquam parum puris excernitur, suturam primam solvimus, aegra prospera fruitur valetudine. Maxime memoratu digna est pulsatio, his diebus in margine supraorbitali observata, sensibus externis conspicua tum imprimis, quum bulbus prominens versus interius reponi velit.

$\frac{8}{9}19$. Suturis reliquis dissolutis vulnus ad perfectam unionem tendit, fascias emplastrinas seposiumus, aqua vegetominerali Goulardi extimam perhumectamus fasciam.

Celeri passu natura, minime labe quadam exhausta, reuniendis vulnerum labiis subvenit, dum eiusdem potissimum conaminibus medicatricibus sublevantibus sana medela institueretur. Verum mentionem faciamus oportet fistulae

exiguae quamdum specillo investigaremus, en ligaturam adhuc reservatam, qua remota, fistula sponte sua occlusa est, paucis diebus. — His feliciter peractis aegram perfecte sanatam ad lares dimisimus patrios, cum hebdomadum octo spatio, quo in clinico detineretur, nec ante, nec post institutam operationem internis usa esset medicaminibus, die $\frac{8}{10}$19 grato erga institutum chirurgico-clinicum animo, cuius adminiculo tanta mole liberata est, ac in posterum alimentorum sibi procurandorum potens, neque aliorum misericordia egens, sed propriis viribus industriaque freta, discessit.

Theses defendendae.

1) Morbus hungaricus Tsömör dictus, epidemicus non habendus.

2) Luxatio spontanea femoris exigit cauterium actuale.

3) Trepanatio In fractura etsi levissima cranii absolute suscipienda.

4) Metastasis laetea non datur.

5) Methodum Stützianam adversus trismum periculosam esse contendimus.

Explicatio tabulae.

A. Longitudo peripherica.

B. Latitudo.

C. Distantia a brachio.

D. Varicositas eximia.

E. Inferior pars brachii cum plicis.

Curriculum vitae.

Ego Philippus d' Csernyanszky nagy Becskerekino Inclyti Comitatus d' Torontal oppido primario oriundus anno MDCCLXXXXV die XXX^a· Octobris, patre Lazaro, matre Julianna e familia nobili d' Arszitsiana. Inde a tenera aetate genitorum optimorum curavit caritas; ut omni, quo decet, instituerer doctrinae genere. Prima discendi initia in lingva vernacula a praeceptoribus privatis in aedibus paternis feceram, lingvis illyricae, valachicae, et italicae operam navando, ita, ut exoptato avunculi mei V Aradinum in Gymnasium profectus essem, ubi per anni spatium alteram Grammaticae classem frequentavi, praeceptore cl. Fritzy; — tertiam classem Kecskemethini Rev. Patre e. s. p. Horvàth; Syntaxim Temesvàrini R. P. Reichel, ibique et primam humanitatis classem duce Wolf tertio regni Hungariae Poeta, placuit mihi vehementer viri hujus in lingva latina elegantia, ejusdemque summus dicendi lepos, cujus gratia et alterum sub illius auspicio transegi annum; — secundam humanitatis classem V. Aradini, magistro mihi addictissimo cl. Miksó, cujus disertissima dicendi facultas cunctorum juvenum animos attraxerat, studui, nec non denique rumor viri celeberrimi Hrankay me in Lyceum Szegediense vocavit. cujus exhaustis institutionibus cum eminentiae testimonio in litteris, et scientiis locatus, discessi. Animus aderat postea hauriendarum scientiarum gratia exteras musarum sedes invisendi, sic factum est,

ut anno MDCCCXVI Regiomontum pervenirem, ab ordinis Philosophorum Decano spectabili Wrede musarum sacris initiarer, a Prorectore magnifico Vater in numerum civium academicorum reciperer. ac medicorum tandem albo nomen darem Inclytae facultatis medicae Decano spectabili Burdach.

Studiorum medicorum haec fuit ratio: Physiologiam, anatomiam generalem, structuram capitis, uti et historlam vitae docuit exc. Burdach; Zoologiam, Botanicam, Physiologiam et Anatomiam plantarum exc. Schweigger; Pathologiam generalem, Biologiam, Methodologiam, selectä capita therapiae specialis, morbos nervorum cl. Sachs; Pathologiam specialem, therapiam generalem et specialem, doctrinam de morbis syphiliticis exc. Elsner, cujus et clinicum medicum adii; materiam medicam, artem obstetriciam, formulas medicas concinnandi, nec non reppetitorium de rebus medicis cl. Henne, Anatomiam corporis humani specialem, et animalium vertebris carentium cl. d' Baer; Chirurgiam generalem et specialem, fasciarum, et machinarum chirurgicarum usum, operationes chirurgicat, ophtalmologiam, methodum medendi fractis et luxatis. morbos dentium docuit exc. Unger, medici secundarii in clinico chirurgico, et secretarii ordinarii in polyclinico in me praeceptor venerandus contulit munus, priusquam in nosodochio vesanorum, quod sub eiusdem viri exc. Unger versatur directione, medici itidem secundarii fruerer munere.

Ut vero magis excolerentur ingenii dotes, Berolinum profectus sum, ac clinicum medicum exc. Berends, et chirurgicum exc. Graeffe frequentavi. Universitatem Kiloniensem Holsatorum adii, in qua per semestre spatium moratus, Hafniam tetendi, ibique instituta medica invisere conatus sum. Redii tandem Regiomontum, hic loci tentamine et examine rigoroso peractis spero fore, ut dissertatione rite defensa, doctoris medicinae, et chirurgiae honores adipiscar.